

LEXICON IURIS.

SEU

EPITOME DEFINITIONUM,
et rerum: Ex omnibus ijs, quæ Clarissimus
D. IOANNES OLDENDORPIVS in lucem partim
edidit, partim aliquot annis
publicè docuit, diligenter
concinna:

PER HERMANNVM FIGV-
lum Hirsfeldianum, Audito-
rem ipsius.

N
V
I
R
T
V
E



E
T
F
O
R
T
V
N
Æ

LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium,
Sub scuto Veneto.

1640



10
7
127
150
480

1429-109

14891

Handwritten signatures and notes at the bottom of the page.

IOANNES OL-
DENDORPIVS,
CANDIDO LECTORI.

S. D.

*



Nihil mihi potuit accidere iucun-
dus, Cādde lector, quā, cum haud
ita pridem nonnullos ex auditoribus
meis ad eo profecisse viderem in arte
boni & aequi, quam Vlpianus veram
philosophiam appellat; Et eruditionis
sua testimonium orbi Romano publicum exhibeant. Cuius
rei laudem, quamvis ad illustrissimum Hessorum Prince-
pem, Academia huius Marpurgianae auctore, aliosq; pro-
fessores longè doctissimos, magis quā ad me pertinere li-
benter agnosco: Aliquam tamen honestissima volupta-
tis partem, sine vllius iuste indignationis molestia, mihi
quoque vendico. Siquidem ornatissimus bonarum litera-
rum professor Hermannus Figulus, obtulit mihi Epitomen
hanc definitionum ac significationum, quam ex meis lucu-
bratiunculis haectenus observasse dicebat: interim meum
expetens arbitratum, quid de operis utilitate sentirem,
& an editionem eius admitterem.

Vlpianus.

Hermannus Figulus.

Quemadmodum autem hominis modestiam erga me
summopere cōmendandam reor: ita insignem erga Rem-
publicam fidem premio quoque dignam esse nihil dubito.
Ceterum, operis locos animaduerti, tam concinne ab eo di-
gestos, tanta verborū & rerum gravitate illustratos fuis-
se: ut etiā si pleraque ex meis traditionibus accepisset, non
tamen iam mea, sed ipsius Figuli censere oporteret.



LITERA, absoluendi nota erat apud iudices Romanos, ea ratione salutaris vocata.

A. litera salutaris.

A LIBELLIS, dicuntur, qui principi in libellorum, hoc est, schedarum supplicium, quas vulgo supplicationes dicimus negotio subseruiunt. l. Rescriptum. ff. De distract. pigno. Rescriptum est (ait) libellos agente Papiniano. Erat autem Severus Pertinax, cui Papinianus aderat a libellis.

Severus Pertinax.

A SVBIECTA materia, locus diligentissime observandus, velut princeps inter omnes probandi iuris modos. Argumentum autem a subiecta materia, sic habet originem in Iure Civili. Verba, deseruiunt rebus: non autem res, verbis. Tantum enim ad hoc verba sunt inuenta, ut res significant in hominum commercijs, quare dici rectissime solet: Verborum quidem prior, rerum tamen potior est cognitio. Hinc duci solet talis argumentatio, quam a subiecta materia vocant. Significatio verborum commodanda est (quo ad licet) ad qualitate subiecta in negotijs materia. In summa nihil aliud dictum est, **A SVBIECTA MATERIA**, quam (ut dici solet) **VTERE FORO**, hoc est, ad temperate circumstantijs negotiorum, & refer semper verba ad rationem boni & equi.

Papinianus.

Verba ad res inuenta.

Vtere foro.

ABDICARE, alias accipitur pro, abire. Unde dictum est, abdicare se magistratu. l. ij. §. Et cum. ff. De orig. iur. Et cum placuisset (inquit Pomponius) leges quoque ferri: latum est ad populum, ut omnes magistratu se abdicarent, hoc est, abirent, ne quis eo anno magistratus esset. Sic enim Pomponius ibi accipiendus est. Alias abdicare significat ab alienare, sicut olim Græci omni disciplinarum genere Romanis prestantiores, abdicare solent filios suos, voluntati paternæ, ac honestis moribus tenaciter repugnantes: ut

Pomponius in l. 7. §. Et cum de origi. iur.